

Inculpatissimo viro ,sacrarumq; literarum professori meritissimo,  
D.Ioanni Boltaco Niuernensi, Nauarriensium Grammaticorū  
gymnasiarchæ, Io.Rauisius Textor Niuernensis S. D.



Requens fuit multis admiratio ,vir inculpatissime ,q; ego tuus  
alumnus,& ppe dixerim partus,tuis semper adiutus obsequijs,  
tuaq; opera literis innutritus,neq; beneficium scriptis agnoscere,  
neq; gratiam verbis vllis remetirer. Nec defuerunt ,qui silentio  
meo tam diuturno,inflatis etiam buccis ,& multo irascerentur  
stomacho,atq; hoc ipsum vitio verterent, diceretq; me in dignū  
de quo quisquam bene mereri debeat,quum vt causabātur, ple-  
raq; expertes rationis animantes abhorreant ab huiusmodi nota . Nam & Ciconia  
parentes à quibus vitam accepit, senio fessos nutrit,& succollat,& glires suis genito-  
ribus dum senuerunt,eadem succurrunt pietate,velut meritum refundentes. Alij itē  
quibus eadem placebat sententia ,conuictis me incessebant,& huiusmodi verbis al-  
loquebātur. Nę tu es homo egregie malus, Textor,dignusq; multis plagis & cicatri-  
cibus,qui magno famæ tua dispendio,non agnoscis per quem profeceris. Hic (de te  
loquebantur) te nutriuit a puero, &, vt inquit Simo Terétianus , fecit ex seruo vt es-  
ses libertus,& quod habuit summum pretium,persoluit tibi. Tu tamen pateris eius  
memoriam apud te frigescere,quem velut numen aliquod terrenum deberes suspi-  
cere & reuereri,cuiusq; effigiem ,si saperes, domi haberet in larario :quum quicquid  
es, si quid saltem es , id totum sis eius officio , eiq; vitam cum doctrina referre debeas  
acceptam. Adde q; magna est ambobus affinitas,eadem vtriq; patria , cuius ille flos  
est,& primum specimen,& in qua tanti fit ab omnibus, vt inhumanus habeatur &  
inciviliis,qui transeunti compitatum non assurgit . Quanam ergo ratione maculam  
hanc elues: quonam modo culpam deprecaberis,aut in quam excusationem reijcies  
delictum, si solus eum relinquas insalutatum,in qu em omnes pleno ore certatim lau-  
des congerunt? His illorū verbis quum aures mihi calerent & circunsonarent,cœ-  
pit me pudere vitæ,& poenitere negligentie:parumq; absfuit,quin ipse mihi poenam  
irrogauerim,sumptoq; de meis misis supplicio,abortiuas adolescentiæ meæ nugas  
Veneris marito deuouerim,vt cū Politiano loquar. Vbi tamē diu satis in ea pependi  
cruce,post longum tedium ,& animi mœrem, discussis hincinde rationibus, tan-  
dem cognoui nihil esse quod deberem tristari,aut affici poenitentia : quinetiam me  
multo prudentius egisse,qua'm si quid infra dignitatem tuam antea reposuisse.  
Præcedentia quidem argumenta iniiciebant mihi pudorem . Contra vero alia  
emererunt omnino contraria,qua' postea suaferunt vt non tantum non me pigeret  
nihil ad te scripsisse,sed ne in posterū quidem scribere . Considerauit in primis qua'm  
stulte agant,qui suis ineptijs illustrium virorum maiestatem contaminant,exemplo  
illius Chærili, cuius scripta plus multo probri qua'm laudis pepererūt Alexandro.  
Quantum enim famæ parturiunt doctorum monumenta,tantum dedecoris affer-  
re solent poenitendæ & viles indoctorum nuge. Itaq; si quid haec tenus tibi nūcupa-  
sem,plus multo fuliginis & tenebrarum qua'm lucis induxitset tuo nomini. Nam ni-  
hil est in me,quod tuis laudibus respōdere valeat. Nihil neq; scribo,neq; loquor,quod  
semitarij & pagani magistelli nō nouerint. Nihil nisi triuiali percussum moneta di-

co. Quanā igitur doctrina tibi, homini dico oībus virtutū numeris absolutissimo  
satissimē potuisse? Quod si potuisse, adhuc tamen fuerat mihi timendū, ne ira-  
sceris, grauateq; ferres & dolēter, si te in ora vulgi conicerem, quū ea sis natura, vt  
malis laudū tuarū testimonja in præcordijs hominū delitescere, q̄ liguis versari. Ego  
te noui tanq; meos vngues. At si quid certi ex tuis moribus potui colligere & explo-  
rare, tu non es ex eorū numero, quibus aures inanibus præconiorū fumis pruriūt, &  
vt quadā gargarizatione titillantur. Fuitiles istæ gloriolæ non plus te mouent, quām  
lippū pīctæ tabulæ, fomenta podagrā, auriculas citharæ collecta sorde dolentes, vt  
inquit ille. Omnia tibi sordēt, nisi que merā olen virtutē. Suspiciari posses me hoc di-  
cere adulandi studio, nisi tā alienū esset mihi assentari, q̄ tibi assentatoribus aurē pre-  
bere. Id ego ausim de me prædicare, nec vnquā placuisse mihi parasitos & blandito-  
res, nec vllā pestē vnquā acrius refugisse me, quā parasiti personā, ne quis forte suspi-  
cetur a labijs meis dissentire præcordia. Et tu ipse cū me semper nosti, in primore cu-  
ius frōte legatur animus. Quod quāuis hac tépestate non vñq; quaq; sit vtile, non pos-  
sem tamen infucatū illū naturæ rigorē excutere, vel si vñco trahendus essem ad scalas  
Gemonias, aut insuēdus culeo cū gallo, serpēte, & simia. Vides igitur, vt ad institutū  
redē, quæ denuo me mouerint argumenta, vt nihil ad tescriberē, aut de te. Tandem  
tamen inuitū me ac recusantem expugnauit & tuus in me amor, & mea in te bene-  
volentia, coegitq; epistolā hāc liminarē adijcere, quāuis intelligerē titulū hūc, si modo  
laudis est titulus, fore tibi molestū & odiosum. Sed velis nolis, oportet vt æqui boniq;  
consulas. Hoc ego feci, non vt par pari relatū cognosceres, quū, vt inquit Cicero, si vi-  
tam pro tua dignitate effunderē, nec minimā quidē tuorū in me meritorū partē vi-  
derer affecutus: sed vt eorum calumnias declinarem, qui me suspendūt naso, q̄ nul-  
lo dū ac ne verborū quidē testimonio exhibuerim me gratū. Porro nominis perpe-  
titatem magis mihi ex te pollicor, quā tibi ex hoc opere meo. Si autem percontaris  
quale sit ipsum opus, & quid ego sentiam, dicam id quod res est, ne quis cauilletur fœ-  
tus meos mihi blandiri. Illud primū oīm non inficiabor, me omnia frustillatim fere  
ab authoribus emendicasse. Nihil priuato iuri præter laborē tribuo: quē si quis im-  
probet, nullā spem future laudis mihi relinquo. Et vt occurrā censorū lituris & spon-  
gijs, tora hāc Officina similis est Horatianæ corniculæ alienis plumis circūquaq; ve-  
stīta. Quā licet pleriq; probent, non sum tamen adeo nesciens mei, neq; ita pēdeo to-  
tus ab aliorū iudicio, vt eas laudes velim agnoscere, quas nec honeste possum, nec iu-  
re debo. Nolo mihi Suffenus esse, aut simias imitari, quæ suos fœtus quālibet defor-  
mes p̄ formosissimis admirātur. Si qd tamē ex multis paleis fructus collegi, te & cæ-  
teros lectores rogo, vt excipiatis plausibiliter. Cōtra vero si quid p̄ incuriā mihi non  
climatū lapsum est, frequenter autem lapsum est, partem erroris quāso condonate  
meis occupationibus, quibus, quum hāc imprimerentur, nulla non hora obruebar,  
idq; adeo, vt vix otium esset ad scalpendū caput, aut ad mungendas nares. Nā vt tu  
ipse omniū certissime nosti, non poteram assidue præesse typis, quum me oporteret  
totos dies erudiendis iuuenibus impendere. Vixq; vt opinor sufficissim operi, nisi  
in emaculandis vtcunq; typographorum erratis laborem meum iuisset honestissi-  
mus, maturæq; doctrinæ adolescens Guido Mommiraldus Lutecianus patricius.  
Vale homo probatissime, & me ama.

Petrus Danesi Nicolao Antonio Pasqualico Patricio Veneto  
Magnifici Laurentij filio S. D.

**O**fficinam Ioannis Ratisij Textoris, opus varium, multiplex, eruditum, tibi  
Nicolae probari, nec magnopere admiror, & facile certe patior. Est enim  
ea rerum scientia, sermonis puritate, elegantiaque concinnatum, vt cum anti-  
quitate, mea quidem sententia, componi possit. Quod vt in ceteris eiusdem authoris  
operibus est perpetuum, ita in hoc quodammodo plenum, ac consummatum. Nec  
vero audiendi, qui quæ ab ingenijs nostræ ætatis profecta sunt, ea non modo non le-  
genda, sed ne attingenda quidem arbitratur. Illis enim fieri, vt antiquos vel non imi-  
temur, vel non assequamur. Quibus si dederō, quod omnino quidem dandum est,  
vetustatem in primis & amplexandam esse, & imitandam: quomodo tandem mihi  
constare facient, recetiores nec legi nec attingi oportere? Num illa, quia maxime est  
imitanda, ideo etiam sola imitanda? Non hoc, puto, dicturi sunt Nicolae mi, qui de  
scipulis suaq; ætate, imo vero de literis male meriti, omnia tā morose, quām non necel-  
fario fastidiūt. Quibus profecto ipsis in præsentia responderē, ni Textor ipse doctus  
homo & eloquens anteuerisset. Is enim in sua illa ad Gaufredū Pompadoreū omnis  
literaturę & morū specimen, elegantiſſima præfatione ita eorū calūnias conuelliit, vt  
magis strenue literarū patrocinū suscipi non potuerit. Proinde non vereor mi Pas-  
qualice suauissime, ne assentationis nota mihi quoquo modo inuratur, vt qui nec no-  
ua dicā, nec, quantū equidē puto, a veritate abhorretia. Cæterū vtcunq; alij senserint,  
satis videbor consecutus, si vni Textori animū meū probauero, quem virum non ita  
pridem conciliauit mihi admiratio quædam virtutis, literarumq; quas vt germa-  
nas maxime, ita certe candidissimas habet. Vale.

Henrici Laberij Nuncuriani

Carmen Phalecium.

**P**Andora ignifero parente nata,  
In terras subit, erigitq; cristas,  
Ut pauo auricomis superbus alis,  
In gyrum calamos rotat micantes,  
Tum supercilio furente strider,  
Obtortis videt hinc & inde ocellis,  
Si quis tam rigido tumescat ausu,  
Qui dextram adjiciat manum duello.  
Cernit Parrhisij leporis arces,  
Athletaſq; oculo tenaciore.  
Vnum inter reliquos videt creatum  
Summa Pallade, cui vel ipse Typhon  
Cedar, & reliqui simul gigantes  
Quærerit, quis deus? est (refert Diana)  
Textor, cui posita est celebris ara  
Inter nymphicolas, minatur, ardet  
Pandora, & similem sibi recusat,

Gorgonem ciet, æstuat sub Aetna  
Qualis Enceladus. Diana clamat,  
Auerte heu dea tortiles sagittas,  
Hunc tu confoueas, tuæq; laudi  
Textorem haud pudeat parem fateri,  
Vt quum debilis ingrueſ ſenectus,  
Hæredem facias. Hic vnuſ eſt, hic  
Textor, cui decus Attici leporis.

Ergo depositam remittit iram  
Exultans dea. Nunc veni, labellis  
Mecum roſcidulis, leui ſufurro,  
Saltu multiplici, diſerte Textor,  
Porge mi genulas. Amoris index  
Strictus te digitus mihi ligabit.  
Vt ſum multimodis referta rebus,  
Et diues ſuperat feracis horti  
Vbertas, ita te facit beatum  
Felix ingenium, labor ſecundus,  
Fœtura Attalicis referta lanis.  
Ergo roſcidulis hic hic labellis  
Iocare, & tremulo ſimul ſufurro,  
Saltu & multiplici, diſerte Textor,  
Nam te poſtulat & petit maritum  
Pandora ignifero parente nata.

Ad D. Franciscum Boherum Carnuteñ.

ecclesiæ Canonicum primarium, Gilberti  
Ducherij de Textore Carmen.

**T**Raditur illa frequens hominum ſententia, nullum  
Dotibus ingenij poſſe valere tribus.  
Nam ſi quis Latia floreret honore Mineruæ,  
Ille in diuino carmine nullus erat.  
Auxilio contrâ ſi cui veneranda poeſis  
Effet, is eloquij dote puſillus erat.  
Historicus praestans, Orator Liuius eſſe,  
Nec Clario potuit nomen habere choro.  
Quid tamen, in promptu ſi quem Francifce notemus  
Qui tribus his florens artibus eſſe queat?  
Hunc tu vel merito Textorem dicere poſſis,  
Si quem alium talem maximus orbis habet.  
Historica ſiquidem quum ſit clarissimus arte,  
Et teneat quicquid Delphica templa ſonant,  
Tantus in eloquio eſt, ut vere ac iure putetur  
Diuinum Latia Palladis eſſe genus.

Claudij Budini Vultonis Carnuteñ.ad Arediū  
Gentilem S. Aredij Lemouiceñ. canonicum,  
Iambicum.

**L**Vmen iuuentæ,nec minus senectuti  
Præbens,deificos vsu amice splendores,  
Dic non grauiter iras inique acerbeq;  
Patiaris horum,qui furore perfracti  
Studiosius vel ganniunt,vel oblatrant.  
Diues rosetum,candidum,patens,plenum  
Rudes aselli non verentur intrare:  
Tamen miselli murmurare non cessant.  
Textori inertes inuident suum florem.  
Damisella felix inuidetur ardentí.  
Flos egregius est,propriusq; scriptori.  
Textoris est flos,qui labore nativo  
Omneisq; cultus,omniumq; deflorans  
Regionum odores,vndecunq; portauit,  
Vt prorsus omni flore Franciam dítet,  
Et summa patriæ mox amoenitas crescat.  
Hæc vt reuoluas,Blasius tuus suadet,  
Textoris vna ars mille tibi præsentat.  
Monemus & nos inuidus suam linguam  
Exarmet,aut Lycambem arundo pertundet

F.N. Marconuilli de Officina Io. Rauisij Tex.  
(quam togam vocat) ad Mineruam epigrāma.

**A**D tua vittatus quam fert altaria Textor,  
Docta laboratam sume Minerua Togam.  
Quæ tremulo quondam neuisti pollice fila,  
Texta sacris Textor destinat illa tholis.  
Si peregrina deos aliquot vexilla venustant,  
Tune tui renues grande laboris opus?  
Si rubra lena deos alios iuuat,hoc ne retrudes,  
Quod solers habili texuit author acu?  
Historias miro compactas ordine gestat  
Hoc rarae rarum sedulitatis opus.  
Quis sophus,historicus,vates,quis rhetor & acer  
Exitit,huius habet fimbria pulchra togæ.  
Ad tua propterea quam fert altaria Textor,  
Docta laboratam sume Minerua togam.

Christophorus Picartus Ioanni Rauisio Textori  
præceptoris suo viro doctissimo S. D.

**D**ebent tibi, Ioannes Rauisi præceptor optime, non iam Niuerenses ciues  
tui magis, ad quos tamen laudis tuę pars non modica referetur, quām stu-  
diosi omnes literarum, imo & quām literæ ipsæ latinæ, politioresque, de qui  
bus ita præclare es meritus, mererisq; indies præclarior edendis in lucem egregijs &  
mire profuturis operibus, ut non tam tua quām rei literariæ causa hoc laboris suscep-  
pisse videare. Cū enim latissimus ad gloriæ campus tibi pateret, tuq; aliam, quanuis  
non æque forsan plenam atq; vberem nominis comparandi rationem inire posse,  
nunquam tamen acquieueristi prius, quām insigni hoc munere studioſos omnes tibi  
deuinxeris. Vna itaq; opera & nomen tuum apud omnem posteritatem immortalis-  
tati cōmendaſti, & mansuetiores hasce, ac humaniores literas, simulq; earum studioſos  
pleniore obsequio es demeritus. Quod cum sit tam verum, quām admirabile, ac  
rarum, ecquis tandem omnium est, cui plus debeat literæ, quām vni Rauisio: qui  
præter summam eruditionem, qua nimurum conspicuum opus tuum exornasti, es  
etiam humanissimus, ac perinde candidissimus. Ut quisq; igitur literarum est aman-  
tissimus, ita se tibi plurimum debere fateatur necesse est. Quo etiam nomine tibi nō  
parū adscriptus sum Textor doctissime, cui quicquid in me est eruditionis, si modo  
quicquam omnino est, id totum referto acceptum, nempe quo, nec sane pœnitendo  
præceptore vſus sum. Porro grati animi esse duxi, beneficium quod abs te acce-  
rim, semper præ me ferre, & hac qualicunq; epistola gratiam si non quantam mere-  
ris, certe quantum maximam animus meus capere potest, habere. Vale.

Carmen Antonij Ressini de Officina Rauisij  
Textoris, præceptoris sui.

**M**ercibus æois, Lydoq; opulentior auro,  
Ecce tuis manibus locuples apotheca paratur,  
Lector, adeſt multo quæ fragrat aromate capsæ,  
Quæ meliloton olet, calfactaq; balsama spirat,  
Et quicquid redolent alabastra, fociq; deorum,  
Quodq; suo stillat Cynareia cortice myrrha,  
Thure quod æoo nebulosus fumigat ignis.  
Quis dedit has nobis rosulas, floresq; crocosq;,  
Hanc Iouis ambrosiam? Textor, quem maximus orbis  
Nouit, & igne suo qui prospicit omnia Phœbus.  
Quem si fata diu seruent, superata vetustas  
Obliqua inuidia, & toruo liuore crepabit.  
Perge agedum Textor, solitisq; infiste camœnis,  
Contemne Archilochos, rauco qui gutture latrant,  
Vanaq; postica spargunt conuitia lanna.